



Samelbd.

0/0

die,

70
DE
VARIETATE LECTIONIS ELEGANTIAE INIMICA
COMMENTATIO PHILOGICO CRITICA

QVA
AD TRIVM HONESTAE INDOLIS IUVENVM

DECLAMATIONES

DIE INSTAVRATIONIS RELIGIONIS MEMORIAE SACRO

BENIVOLE AVDIENDAS

HVMANISIME INVITAT

M. CAROLVS HENRICVS SENTENIS

LYCEI TORGAVIENSIS RECTOR SOCIETATIS LATINAE
IENENS. MEMBR. HONOR.




LIPSIAE


EX OFFICINA IACOBÆERIANA

MDCCLXXXI.

DE
VARIETATE LECTURAE HONORABILIS RUMERAE
COMMENTATIO THEOLOGICA CATHOLICA
A
AD THEOLOGICUM INSTITUTUM
DECLAMATIONES
DE RUMERAE LECTURAE HONORABILIS RUMERAE
THEOLOGICAE
HONORABILIS RUMERAE
M. CAROLUS HENRICHUS RUMERAE
LEBENSTAGE VON RUMERAE
LEBENSTAGE VON RUMERAE





 **D**uo iam anni sunt, ex quo SCHELLERVS, Regii Gymnasii Illustris, quod *Brigae* floret, *Reclor* tam doctrina, quam meritis *Celeberrimus*, praeter alios, quibus magnam et eximiam Humanitatis laudem consecutus est, libros, hunc quoque in lucem adspectumque edidit, qui inscriptionem in fronte gerit: PRAECEPTA STYLI BENE LATINI, IN PRIMIS CICERONIANI, et, quia vitae meae munerisque suscepti rationes ita ferunt, ut mihi non solum plurimus sit usus cum scriptoribus *Graecis* et *Romanis*, eorumque *interpretibus*, maxime iis, qui *criticae* dexteritatis gloria excellant, sed etiam bonorum *Criticorum* instituta, ad quae *latine* in primis scribendi loquendique facultas dirigi utcumque possit, penitus percipere, et in meam utilitatem convertere debeam, hinc verbis exprimere nequeo, quanta aviditate hunc librum perlegerim, ut viderem, quid hic tanti nominis Vir, quem iam aliis ex libris noueram, ad *interiorem latinae linguae indolem* perspiciendam, et *pure ac venuste* dicendi peritiam comparandam, praeslitterit. Ego omni, quo *par atque aequum est*, hunc eruditum Virum cultu prosequor, cuius in rem scholasticam merita sane tanta sunt, ut in eorum praeceptorum numerum sit referendus, qui, quo magis feroti et alieni a *recentiorum temporum nugis atque lussibus* in re tam seria reperiuntur,

riuntur, eo amantiore sunt bonarum literarum, salutisque, ex prudentissima iuventutis institutione sperandae, sed quancunque illum et ipse aestimem, et ab aliis aestimandum censeam, non possum non candidè atque integre fateri, me *permulta* in libro illo inuenisse, quae non responderint spei, de illo conceptae, quorumque nonnulla iam in medium proferam, si modo antea ipsum Auctorem eius rogauero, ut persuasissimum habeat, me, etiam in praesentia in reprehendendo occupatus sim, nunquam tamen honoris, quo vere dignus sit, esse obliturum, utque eadem humanitate, qua animum studiosissimum ipsi testor, monita mea excipiat. Iam primum in doctrina de *periodis pag. 233.* vituperat *diuisionem periodorum*, vsu in Rhetorum scholis receptam, qua vel *simplices*, vel *compositae* vocantur, simulque addit: *maiori forsan iure et perspicuitate loco COMPOSITAE dici poterat DUPLEX, TRIPLEX, et pag. 234. compositam periodum sic describit: quae constat antecedente et consequente enunciatione, quae VTRAQUE per vnã saltem enunciationem secundariam dissecta esse debet.* Sed, ut nihil dicam de iniqua pristinæ illius diuisionis reprehensione, quae iam *Dialectices* regulis iudicari potest, dum pro SCHELLERI diuidendi ratione *subdiuisa*, ut loqui solemus, *ingrediuntur diuisionem*, (quod vitium saltus in diuidendo vocatur, a Cicerone iam in Epicuro vituperatus, elegantiae contrarius, quae partem in genere vetat numerare) ipsa potius *periodi compositae* notio nimis *angusta* mihi videtur. Postulat nimirum, ut *VTRAQUE enunciatio; tam antecedens, quam consequens, vna saltem propositione secundaria sit dissecta*, hinc accidit, ut *eadem pagina* periodum aliquam *conditionalem*, quae dicitur, ad *periodorum compositarum* numerum adscribendam negaret, quod tamen falsissimum haberi meretur, ac Rhetorum praestantissimorum disciplinae parum consentaneum. Deinde non maiori iure *pagina 256. sequ.* reicit descriptionem, quam *Senex Lipsiensis Summe Venerabilis*, morte nuper artibus SEMPER acerba ereptus in Rhetorices initiis de *numero oratorio* formauit, et quidem ideo, quia nimis *generalis et minus subtilis* ipsi videatur, dum *sic quidquid verborum e numeris musicis caneretur, foret numerus oratorius*, et substituit hanc mutationem, ut *numerus sit certa et aequalis mensura vocabulorum, et enunciationum earum, quae ad se inuicem referuntur, atque ita vnum Totum constituunt.* Non is sum, qui explorem, quid sit, quod SCHELLERI in eundem *Virum*, tanto pere

pere de literis diuinis atque humanis promeritum, amor atque studium adeo refrixerit, vt quacunque occasione, eaque vel remotissima, et maxime inopinata, impetum in illum faciat, quamuis non negauerim, me, *pro grati animi officio*, multo maiori in *Præceptores meos* pietate atque reuerentia impelli et incitari, vt non nisi maxima cum suauitate et voluptate nomina illorum audiam, cur vero hic in primis *Summum Virum* illum notet, ego certe, quo minus intelligam, ingenii tarditate impedior. ERNESTI docuit, numerum esse conformationem aliquam orationis, aures ipso sono delectantem, sed SCHELLERVS monet, huius notionis ambitum tam late patere, vt etiam in omne id cadat, quod e numeris musicis canatur, quasi vero ORATIONIS conformatio, et VOCIS sit eadem, et ad ipsam descriptionem, quam nobis subministrat SCHELLERVS, quod attinet, aut manifesto incidit in *errorum oppositum*, vt nimis angustam, quae vocari solet, proferat, (nisi fortasse membrorum concinnitatem, quae partem aliquam numeri, nequaquam vero numerum, eumque totum, efficit, cum ipso numero confundit,) aut eundem errorem commisit, quia in iis, quae e numeris musicis canuntur, etiam certa et aequalis mensura vocum atque enunciationum, inter se ad vnum Totum aptarum, reperitur. Sed missa haec faciam, quia cum praefentis commentationis consilio non proxime coniuncta sunt. Quod mihi, praeter multa alia, hoc in SCHELLERI libro maxime displicuit, et animaduersione dignum visum est, id cernitur in eo, quod contra GESNERVM, ERNESTI, aliosque Critices doctores singulorum vocabulorum elegantiam, urbanitatemque pag. 47. his verbis negauit: *in vocabulis per se, et extra contextum* (non optima vox!) *nulla potest esse pulchritudo. Omnis vocabulorum pulchritudo, si quidem vocabulis ipsis pulchritudinem tribuere licet, oritur e duabus rebus, ardo vinculo connexis, ab idearum pulchritudine, in vocabulis latente, et ab earum apta dignoque coniunctione.* Vbinam GESNERVS, ERNESTI, alique vocabula pulchra statuerunt? *pulchritudo est perfectio, in sensus cadens, in quo igitur consistit vocabuli pulchritudo, nisi fortasse in scriptura, et singularum literarum figura?* Scribere voluisti, *Clarissime SCHELLERE, elegancia,* cui Tu inimicus es, vt iam antea declarasti in libello: *Anleitung, die alten Schriftsteller etc.* ego vero illam, quia barbarie aduersatur, pro omni eo, quidquid in viribus meis positum est, *vel a doctissimo* defendo. Tecum mihi facilis

facilis res est. Tu enim aut solam *logomachiam* (quae vox per se non *pulchra* est, fateor, nedum *elegans*) committis, sine potius de *solis vocibus ac nominibus* rixas et lites moues, aut Tibi ipse non constas. Prius luculentissime Tibi exinde comprobo, quia studiose recedis a communi *Elegantiae* atque *Venustatis* (*Ornatum*, enim Tibi totum largior, qui non inest *verbis ipsis*, sed ratione *materiae* in tropis et figuris, ratione *formae*, in collocatione verborum, structura membrorum, et numero) notione, aliamque fundamenti loco ponis. Nos enim, qui *vocum singularum elegantiam* contendimus, nullam aliam virtutem exprimere volumus, nisi illam, qua *oratio est recta, ac sine verborum vitio, et Venustas, siue Urbanitas* nobis ea est, quae e *verbis generibusque loquendi iis, quibus salua ELEGANTIAE lege uti licet, sumit potissimum ea, quae consuetudo politiorum hominum, et exquisitius loquentium, usurpauit*, Tu vero, SCHELLERE *Aestumatisime, pulchra* (*elegantia*) et *venusta*, quae Tibi eadem sunt, vocabula putas ea, quae *perspicuitatem, suauitatem, grauitatemque adiuvant*. Pro nostra de *Elegantia* supposita interpretatione nos omnino ab vnoquoque, et quidem propter eandem perspicuitatem, suauitatem et grauitatem, exigimus, vt verba *recta*, h. e. eiusmodi eligat, quae non sint a *gentibus barbaris, aut formam habeant, a linguae analogia recedentem*, nonne vero vtrumque hoc vitium verbo non *eleganti* inest *per se*? nonne vocabulum aliquod dici potest *per se venustum*, si huic appellationi hanc vim tribuimus, vt denotet *vocabulum, consuetudini politiorum hominum accommodatum, licet Tibi largiamur, vt ERNESTI §. 297. ipse docuit, eius suauitatem ab aliqua maiori vi significandi, aut a quadam ingenii significatione, aut denique ab ipsa consuetudine, nasci*? Tu vero negas, vocabula esse *per se elegantia*, et nihilo minus postules, vt sint *perspicua, suauia, et grauia*, quasi voces singulae *has tres virtutes* non debeant *Elegantiae*? *perspicuissimum* habeas, mihi multa in libro Tuo non fuisse *perspicua*, multo minus *suauia*, et quidem ideo, quia saepissime *parum eleganter*, h. e. *barbare* scripsisti. Te ipsum vero (id quod alterum erat, contra Te, ratione *Elegantiae*, monendum) Tibi non constare, exinde apparet, quia *p. st. dicis, summe Venerabilem ERNESTI in Clauae Ciceroniana voc. vt, vocem eleganter* (quod tamen apud *Ipsum* denotat *recte, sine vitio*) haud dubie intellexisse *recte, sine vitio*, nonne hic concedis *Elegantiam*, pro regula fati trita: *cui rei conuenit definitio,*

definitio, illi conuenit definitum? En igitur repugnantiam! quid? quod, p. 46. scripsisti: omnis bona latinitas e lectione priscorum, non e lexico, haurienda est, BENE, sed p. 136. barbara uocabula (quae sunt contra Elegantiã nostram) euitare nemo potest, nisi qui — — et lexiu bo- ni ope nititur. Omnes tamen ii, qui Varietatem lectionis, nulla ad- dita conditione, commendant, excusari se putabunt hac Tua senten- tia, opinantes, se posse perspicue, suauiter, et grauius scribere, quam- uis non scribant eleganter, hinc mihi animus est, ut praesenti com- mendatione confirmem, hanc Varietatem esse permiosissimam Elegan- tiaë inimicam, Stylique corruptricem.

Quamquam omnes omnino eruditi, quia hoc insitum est in animis, penitusque infixum sensibus illorum, ut non nisi in ueterum libris summa ingenii humani vis et quasi mensura exsisterit, in eo amicissime conspirant, omnes in uniuersum Romanorum scriptores dig- nos esse, quibus magna habeatur reuerentia, tamen in eo quoque non dissident, sed una et consentiente uoce contendere cupiunt, non omnes esse eodem cultu prosequendos, sed multos illorum reperiri, qui non sint tam eximiae praestantiae, ut, quanto minus quis ab iis simi- litudine abesse iudicetur, tanto propius ad doctrinae gloriam accessis- se putandus sit. Quid enim esse dicas, cur, si a Graecis discesseris, illi Latini, quos auctores classicos, siue optimos atque principes no- minamus, inde a tot saeculis locum dignitatemque suam obtineant, cum tamen reliqui, ut quique magis ab iis dissimilitudine se iuncti sunt, ita citius aut omnino pereant, aut saltem obscuro fiant? quid esse di- cas, quare uenerandae antiquitatis Romanae, quae ad nostram usque aetatem seruata sunt, monumenta, tam insignis tamque praeclarae auctoritatis a iustissimo quoque iudice aestimentur, ut iuuenius, publi- cis in scholis bonarum artium literarumque liberaliorum institutione formanda, ad illorum consuetudinem familiaritatemque adducatur, cum tamen recentiorum temporum scripta, eaque latina, non facile ullus peritissimorum rei scholasticae Statuorum atque Vindicum eiusdem indolis atque grauitatis censeat, ut ad eandem animorum iuuenilium exercitationem admittenda ipsi uideantur? non arbitror, nisi me fal- lunt omnia, errare, si dixero, rationem esse hanc, quod illi non solum in uerbis, sed etiam rebus, maxima diligentia, quae uaquam in uires humanas cadere potest, excelluerunt, suntque omnium soli,
qui

VIII

qui in rebus mente concipiendis, et in iis, quae cogitauerint, explicandis, accuratissimi studiosissimique nominari mereantur. Huius egregiae virtutis, qua *prisca illi scriptores* conspicui sunt, tanta, tamque parum dubia est, aclinatio, vt, si quid in iis occurrat eiusmodi, quod abhorrens a vero, neque satis eleganter, aut acute, et perspicue dictum esse appareat, non omnes in eam partem proclines sint, vt quascunque coniecturas seriei contextae inferant, aut detrahendo, interpolando, et corrigendo arrogantem inscitiam occultent. Plurimi potius Criticorum, iique multo saniores, ingenii sollertiam cogitandique industriam in eo collocant, vt commoda interpretatione locos vexatos cum veritate componant atque molliant, verosque errores a librariorum potius incuria, quam ipsorum auctorum ignorantia, et negligentia, originem traxisse existimant. Quod longe aliter se habet in iudicando nostrae aetatis libro, latine scripto, cui plerumque affinguntur errores, cuius lapsus, si quidam sunt, copiose augentur, et, quoties ambiguitate laborantia proferuntur, toties haec magis in *deteriorem*, quam *meliozem* partem exponuntur. Ac profecto, nisi mihi verendum esset, ne in *superbiae aut inhumanitatis suspicionem inciderem*, integre dixerim, valde raram esse nostris temporibus illam in latine scribendo diligentiae virtutem, cui *veteres Romani* mirum quantum studuerint. Haec tempora, quae nostra vidit aetas, ad *infucatam* quandam eruditionem, nequaquam vero *accuratam* et *exquisitam* cognitionem, prona, nihil studiosius fugiunt, nisi animi intentionis molestiam, et homines, vt in *discendo*, sic necessario etiam in *scribendo*, reperiuntur leuissimi. Quae omnia cum ita comparata sint, vt *pristinorum Romanorum* libri omnia accuratius ad verborum elegantiam, venustatem, copiam atque ornatum exigant, in rebus vero purissimos omnis sapientiae, eloquentiae, poeseos, historiarumque fontes aperiant, hinc omnes illi, qui verum Humanitatis pretium statuere didicerunt, quique alios ad illam adamandam allicere gestiunt, in eo conspirant, eadem haec vetustatis monumenta in *uniuersum omnia*, praecipue cum magnam antiquitatis prae se habeat suauitatis commendationem, digna esse, quorum admiratione ingenia contineantur. Fructui ex illis redundanti, non tam angustos fines constituunt, vt solas linguae diuitias hac assiduitate comparari doceant, sed simul etiam exploratissimum habent, plurimarum rerum scitu necessarium sic gustum quandam atque intelligentiam afferri,

afferri, propterea quod literarum humaniorum disciplina latius regnet,
 quam imperiti atque iniqui illarum iudices opinentur. Quamquam
 vero tanto studio *omnes omnino Romanorum scriptores* prolequuntur,
 vt illis debitam obseruantiam non denegent, tamen non eo reueren-
 tia in illos atque indulgentiae progrediuntur, vt *omnes* eiusmodi pro-
 nuncient, quibus *idem cultus eademque veneratio* sit praestanda. Tanta
 inter illos intercedit differentia, siue ad *linguae latinae aetatem*, siue
scriptorum multitudinem respexeris, vt, si modo aliquam illorum co-
 gnitionem teneas, vnicuique largiaris, discrimen illud non sola Cri-
 ticorum opinione inniti, sed iplo vlu posse confirmari. *Tres*, vt
 constat, numerari solent *praecipuae linguae latinae aetates*, quarta
 enim, quas *ferrea* est, tota fere eiusmodi scriptores continet, qui,
 Christianorum coetui addicti, in *audiorum classicorum*, qui vocantur,
 societatem referri nequeunt, vt nihil dicam de *quinta* aetate, de qua
 FACCIOLETVS in *Comment. de lingua latina* ita iudicat: *minorem*
sane nobilissimae linguae iniuriam facit, qui eam interisse, quam, qui
lutulenter vixisse putat, sed quantum est, quod hae aetates differunt!
Aurea, siue, vt BORRICHIVS mavult, *virilis* linguae latinae aetas
 non solum orationis munditie atque vrbantate reliquis praeferenda
 est, sed etiam retinuit proxime antecedentium, eorumque rudiorum
 temporum simplicitatem atque grauitatem, *remota tantum omni du-*
ritie atque asperitate, quae antea impediuerat, quo minus voces hu-
 ius linguae auribus gratiorem suauitatem afferrent, et, si ad compo-
 sitionem cum aliis fuissent tortae, flexibiles atque tenerae sequerentur.
 Splendidae, quas ex bellis feliciter gestis ab hostibus deuictis
 Romani reportauerant, diuitiae, ad deponendam priorem severita-
 tem rusticitatemque multum contulerant, Romani vitae commodita-
 tem atque magnificentiam praeferebant ingratae agriculturae labori-
 bus, frugalitatem sequebatur luxus, hinc, vt in moribus, ita in ser-
 mone, molliores reddebantur, amantiorque cultus vrbantati ad-
 suetae, linguae quoque patriae vt maiorem ornatum maioremque
 laeuitatem conciliarent, operam dabant, quia vero non parum simi-
 litudinis adhuc habebant cum maiorum cogitandi ratione bene com-
 posita, virili, accurata et seuera, exinde tantam in toto orationis ha-
 bitu simplicem venustatem atque gratiam consecuti sunt, vt, quid-
 quid suauitatis habent, id omne haud impar sit vni, *ex vni primum*
calcatu leniter desluentibus, cum plurimi sequentis aetatis scriptores,
 B quid-

quidquid nimiae subtilitatis vi exprimerent, *tortularis quasi pressu eliciebant*. Haec enim aetas, quae *argentea* dicitur, mirum quantum recessit ab *aurea*. Romani his temporibus multo plures peregrinos ex remotissimis vrbibus ciuitate donarant, de quibus inquinatae loquentibus iam conquestus erat CICERO in *Bruto*, et in *Epistolis ad Diu. lib. IX. 15.* nil praemii a *Tiberio, Caligula, Claudio, Nerone*, atque *Domitiano* expectare poterant literae, quanta potius fuerit *Neronis* in viros eruditione conspicuos atrocitas, docemur a TACITO *Annal. XV. Domitianus*, teste SVETONIO, clarissima ingeniorum monumenta comburi iubebat, et quamuis *Vespasianus* atque *Titus* fouerent breue tempus Musas, earumque cultores, *Domitiani* tamen tyrannide rursus frigeabant, et quid est, quod plurimi huius aetatis scriptorum in linguae cultura praesisterunt? captandis verborum lenociniis, usque solis, studebant, aures titillabant lepidis vocabulorum ac sententiarum lusibus et ieiunis antithetis mentis cogitata, nimis studiose quaesita, quasi innoluebant, ingenii ostentationem spectabant, erant exiles, exlangues, aridi, et destituti tam recta validudine, quae a CIGERONE vocatur, h. e. munditie atque perspicuitate, quam colore et succo salubri, vt QVINCTILIANO lib. IX. 3. has querimonias extorquerent: *si antiquum sermonem nostro comparemus, paene iam quidquid loquimur, figura est, utinamque non peiora vincant!* Cui optato euentus non respondit, incidit potius temporibus, QVINCTILIANI vitam excipientibus, aetas, quae nominatur *aenea*. Iam Romanorum *Elegantia* inclinata erat in *barbariam, Afri, Thraces, Arabes, Dalmatae, et Pannonii*, Romae imperantes, suae quique gentis homines rebus gerendis praeficiebant, quo fieri aliter non potuit, quin sermo laenus per huiusmodi homines corrumpetur, ipsis literarum studiis neglectis, Musae erant proscriptae, *Caesares, non Apollinis, sed Martis* artibus intenti, nihil Latinitati dabant, haec confescebat, haec intermoriebatur, vt vix vnus itemque alter, *bono ingenio adiutus*, inuito illam meliorum temporum formam assequeretur. Quae igitur, et quanta inde nascitur scriptorum differentia, quanta varietas ipsorum scribendi generis! sed hic non vnus fons est, ex quo illorum discrimen emanauit, in iis quoque, qui *eodem temporis tractu* vixerunt, multum deprehenditur, quo inuicem distent. Quemadmodum enim mores, vitae conditio, studia, et argumentum tractandum omnium omnino hominum

hominum elocutionem mirifice afficit, sic necessario idem de illis viris est statuendum, ad quos iam spectat oratio. Quo quis genere, dignitate, honore erat praeslantior, eo altiores sensus imbiberat, eo generosior erat animi eius indoles, quo quis doctrina atque eruditione erat excellentior, eo elegantior et acuratior erat eius scribendi facultas, et pro rei, in qua describenda versabatur, diuersitate, longe aliter mentis cogitata exprimebat *historicus*, aliter *philosophus*, aliter *orator*, aliter denique *poeta*, vt nihil dicam de *vario historico-rum, oratorum, et poetarum consilio*, quo NEPOS, LIVIUS, CAESAR impulsus scripsit, quo CICERO in Senatu, in iudicio, et in concione dixit, quo VIRGILIUS et HORATIUS cecinit, cuius propositi diuersa ratio necessario etiam scribendi generis peperit varietatem. Quae omnia, si scholasticae commentationis angustiae paterentur, longe maiori orationis vbertate augeri atque amplificari possent, vindicant tamen et exigunt Criticorum difficultatem illam, qua non omnibus Romanorum scriptoribus eandem aestimationem, eundemque cultum praestandum iudicant.

Noli tamen putare, Humanitatis doctores tantae in scriptores, qui dicuntur, classicos esse seueritatis, immo asperitatis, vt, quos inferiores aliis illorum censeant, quorumque auctoritatem multo minorem putent, illos omnes omnino indignos aestiment, quorum *lectione mentis animique alimenta colligantur, quorumque consuetudini ingenia sint admittenda*. Minime, vim illis, eiusmodi quid si opinaris, affers, quae, quo magis illorum principiis repugnat, eo minus est excusanda. Omni potius assiduitate, omnique seruore contendunt, ne vnum quidem inter illos antiquitatis venerandae libros inueniri, cuius lectio sit dissuadenda, aut sine detrimento quodam intermittenda, et argumentis, quibus hanc sententiam comprobant, magna sane vis inest, multumque roboris. Nam siue ad *linguae latinae indolem*, siue ad *rerum*, quas haec scripta continent, *granitatem utilitatemque* respexeris, satis luculenter apparet, Criticorum de *necessitate lectionis omnium in vniuersum auctorum classicorum*, iudicio assensum non esse dene-gandum. Ad priorem illam quod attinet, nemo sane reperitur, qui *integras linguae latinae, eiusque ingenii cognitionem sibi comparare possit*, nili qui omnes libros, nostrae aetati reseruos, eodemque sermone compositos, sedulo perlegerit, aliquam modo, nequaquam

vero absolutam et exquisitam, scientiam huius linguae tenebit, qui vni tantum itemque alteri scriptori tempus studiumque impenderit. Neque est, quod putes, eiusmodi plenam linguae Romanae intelligentiam irritam esse, illisque rebus annumerandam, quae in contemtionem sint adducendae, quamquam largior, huiusmodi sermones quam saepissime his ex rationibus commoueri, si quis harum literarum ignorantiae conuictus turpiter se dederit, aut si ab iis, qui hac in lingua excellunt, ne reprehendatur, timeat. Equidem enim crediderim, qui in eruditorum, immo doctorum numero haberi velit, (et quotosquisque est, quin doctus nominari gratum acceptumque ferat?) ei etiam hoc incumbere, vt linguam, in communi doctorum vsu et consuetudine receptam, non tantum *mediocriter*, sed *penitus* addiscendam existimet, quia vero aetas nostra multo elegantior atque facilius est, quam quae, ad doctrinae gloriae magnamque nominis celebritatem, ab vnoquoque *linguae latinae* accuratam cognitionem postulet, hinc, *ne inhumunitatis aut impudentiae accusandus videar*, iudicis officium ingratum sustinere nolim. Fata tamen, quae linguae latinae accidisse constat, tantae sunt multitudinis, tantaeque varietatis, vt illi, quorum omnes huius sermonis mutationes, omnesque culturae atque corruptionis modos probe intellexisse interest, non sibi in eo acquiescendum esse persuasum habeant, si *quam tantum Latinitatis partem* mente comprehenderit, propterea quod *non solum voluptas atque suauitas huius linguae, accuratiori eius agnitione, augetur, sed etiam verba ipsa sine illa non facile ubique locorum recte intelligi, nedum emendatio illorum aut suscipi, aut iudicari potest.* Quamquam enim liberales artes atque literae non habent omnia, ipsis a sensibus et cupiditatibus commodata, quae efficiant, vt cum talibus rebus conferri possint, quae oculorum auriumque perceptioni obnoxiae sunt, haec tamen fors atque conditio illarum cum rebus corporeis et in sensus incurrentibus communis est, vt, quemadmodum in eandem inconstantiae societatem trahuntur, qua opiniones de pulchro et deformi commutari solent, ita illius venustatis gratia augeatur foeditatis auersatione. Si quis hominis cuiusdam egregii corporis forma, aut cuiuscunque rei sensibus percipiendae pulchritudine ita delectari cupit, vt voluptas ex eius adpectu oriatur, quae vel ad animum permanet, illique altius imprimatur, omnem siue imaginandi siue sentiendi vim intendit, ad deformitatis membro.

membrorum, in alio corpore humano conspiciendorum, aut rei cuiuscunque inuenustae et fordidae contemplationem. Neque alia voluptatis, ex *integra linguae latinae cognitione* redundantis, est ratio. Melioris aetatis suauitas crescit, facta illius comparatione cum deterioris aetatis fordibus, elegantia, urbanitas, simplex venustas, sublimitas, atque ipsa tenuitas, multo acrius et iucundius sentitur, illam si cum barbarie, rusticitate, tumore, frigore, atque ieiunitate contuleris. *Verba ipsa quomodo ubique locorum recte intelligi possunt*, nisi mens nostra totum linguae perlustrarit ambitum? Omnis interpretatio vera et certa ducitur maxime ab *intelligentia verborum*, hinc nihil prius, nihil antiquius est curandum, quam vocabulorum, eorumque significationum scientia, quae non modo sit accurata in intelligendo, sed etiam tenax in retinendo, et prompta in reddendo, ut ad verum sensum, et verbis ipsis, et seriei contextae convenientem, peruenias. In qua scientia comparanda quantum laboris, quantum molestiae proponatur, facile non solum ex ipsis linguae latinae diuitiis, prope insinitis, sed etiam exinde intelligitur, quia pro aetatis eiusdem linguae varietate magna quoque et singulorum verborum et integrarum loquendi formarum potestatis reperitur varietas. Qui iustam cum sermone latino familiaritatem contraxerunt, iis non opus est, ut planum faciam, aut exemplis collustrem, ingentem sane inueniri vocum copiam, quae aliam aetatis *aureae*, aliam *argenteae* temporibus significationem habeant, neque minorem deprehendi, pro eadem variorum temporum ratione, singulorum vocabulorum inuicem coniungendorum varietatem, ut tam ex ignorantia, quam negligentia huius duplicis differentiae quam saepissime nasci debeat *maxime absurda atque absurda interpretatio*, qua sensus fingitur verborum, utcunque primo adpectu intellectorum, longissime abhorrens ab eo, quod scriptores cogitauerint. Vnde vero haec notitia tam diuersa, tamque fere immensa acquiritur, nisi ea exercitatione atque assiduitate, qua in perquirendis omnibus latinae antiquitatis libris occupati sumus? ex quo alio fonte, eoque puro, profuit haec doctrina, ut semper, *sine sollicita et ambitiosa praesentatione, sed officiosa apparitione*, vbiuis se nobis offerat, nisi ex industriae constantia, qua in legendo versamur? *Verborum denique emendatio quando aut suscipi, aut iudicari potest?* Ad ornandam temeritatem, vel occultandam inscitiam, nemo sane est, qui corrigendi libertatem, siue licentiam

suadeat, nisi qui *inanis iudicio Critici* notam tulerit, omnes saniores multo maiori hac in re reuerentia atque religione vtuntur. Hi, vt supra iam monuimus, saepius componunt, emolliunt, defendunt, quid? quod, citius eo descendunt, vt verba non satis intelligere se fateantur, abest ab illis, vt statim refecent, addant, mutant, et corrumpant. Nonnunquam vero res eo deducitur, vt vel principes scriptores humani quid passi, aut librariorum incuria atque ignorantia vitii quid traxisse videantur, ita, vt nullo remedio adhibito, lectionis integritas et bona quasi validudo restitui, verusque sensus elici possit, quid tunc? lenibus quidem coniecturis, quae deridendae et vituperandae sunt, agendum non est, sed aptissimis, siue tam aetati, quam menti auctoris accommodatissimis emendationibus. Quomodo vero eiusmodi laborem aut ipse sustinere, aut ab aliis susceptum recte iudicare poteris, nisi antea, praeter cogitatorum ordinem atque coniunctionem, ipsius aetatis, qua scriptor vixit, peritiam imberberis? facile hic errari potest, et, quia *NVSQVAM TVTA FIDES EST*, quemadmodum *DIDO* apud *VIRGILIVM* ait, vt quidquam tribuere possis auctoritati, hinc nihil aliud restat, quam vt *omnes in vniuersum* Romanorum libros studiose consulas, et in consulendo illos omne id praecipue memoriae tuae imprimas, quod *cuiuscunque aetatis*, et singulorum scriptorum, qui *eandem aetatem* viderunt, proprium sit. Sed quoniam multi hac sunt opinione capti, vt putent, Criticos tantum *in verbis* versari, *res ipsas* aut ignorare, aut negligere, idque ad illorum inuidiam, artisque criticae contentum conferrundum esse, hic error quoque minuendus, et paucis ostendendum est, Criticos non solum ob *linguae latinae indolem*, sed etiam *rerum grauitatem atque vtilitatem*, omnium omnino auctorum classicorum lectionis necessitatem vrgere. Hae res, antiquis in libris occurrentes, in duo diuiduntur genera, aliae *ad partem aliquam doctrinae*, aliae *ad vitam humanam rerumque humanarum usum* pertinent. Illae referendae sunt ad *Philosophiam, Historiam, Antiquitatisque* scientiam, docentque, quid ii, quos omnis aetas sapientissimos iudicant, de rebus diuinis et humanis praeceperint, quid pace belloque certis locis, certisque temporibus a summis viris integrisque populis gestum sit, quidque pristinatorum temporum ritibus, caerimoniis, moribus atque institutis fuerit receptum, *hae spectant actiones humanas*, earumque interiorum indolem, et magna cum grauitate, grato acumine, et admiranda

admiranda suauitate virtutis praestantiam, improbitatis foeditatem exprimunt, illiusque amorem, huius vero odium generosum instillant. Neque fieri potest, ut satis describam, quanta sollertia Critici omnia haec colligant, quae ad cognoscendam sapientiam veterem ducunt, aut rerum, et pace et bello gestarum, memoriam conferuant, aut consuetudinum rituumque solemnitatem rationemque testantur, aut denique hominum pristinorum de virtutis honestate vitiique turpitudine sententias continent, et quidem eo consilio, ut doceant, quid praesliterint summa ingenia, et quanta sit mentis humanae imbecillitas, quam fidelis sit historia prudentiae ciuilis magistra, quam necessarium sit ad artem interpretandi antiquitatum studium, et quanta animi magnitudine quantaque generositate priscae Romani animos legentium capiant et expleant, si sermo est de virtutis maiestate, aut vitii prauorumque facinorum illiberalitate. Quam maneam vero, inquit Critici, quam parum absolutam pristinæ *Philosophiae, Historiae, Antiquitatisque* intelligentiam habebis, si vnus tantum aetatis scriptores attigeri? quam parua et exigua erit notitia de eo, quo pectoris generosi animique celsi gravitas, improbi vero et fordidi humilitas eluceat, nisi *omnes omnino Romanae sapientiae* fontes perquisueris? *compendia* harum artium, quae ex iisdem fontibus deducta et deriuata dicuntur, non tanti sunt pretii, ut ipsam eamque veram eruditionem, docto viro dignam, illis contineri, aut totam vitam in eorum angustiis conterendam iudices, abicias haec cum tirociniis, iisque abiectis, ex ipsis fontibus haurias! quid igitur? nonne ex his, quae disputauimus, satis superque clarum et perspicuum est, *non aliquot tantum, sed omnes ac singulos Romanorum scriptores* tam insignis esse excellentiae, ut legi mereantur? nonne *illorum omnium* lectionem iis subsidiis annumeres, quae ad doctrinam, eiusque laudem comparandam vitia sint, immo necessaria?

Attamen haec *lectionis varietas* non prius commendari potest, quam *optimorum, atque similium imitatione ingenium satis fuerit confirmatum*. Differentia, quam inter Romanos scriptores intercedere contendimus, quamque paucis supra exposui, euidenter ostendit, eam aetatem, quae *aurea* dicatur, omnium longe praestantissimam esse, illosque auctores, qui ad eandem referantur, reliquis omnibus palmam non solum dubiam reddere, sed etiam praeripere, ut vix nonnulli

nonnulli inferioribus temporibus reperiantur, qui, *ingenii alacritate adiuti*, melioris aetatis indolem atque formam imitando consecuti videantur. Rationes, quas attuli, cur illi ad tam altum praeslantiae gradum euehi atque ascendere potuerint, quamquam praecipuae fuerunt, nihilo minus *duas* adhuc restant, quas ut nunc tractarem, haecenus referuavi. *Prior* illarum haec est, *aureae aetatis*, quae dicitur, *scriptorum vita incidit in tempora libertatis publicae*. Haec sola erant, quae tantum summorum ingeniorum pronentum ferre poterant! haec sola erant, quae felicissima praedicari merentur! nemo, penes quem summa rerum gerendarum potestas fuisset, erat timendus, propter tyrannidis immanitatem non quidquam erat verendum, hinc non facile ullus erat, qui dubitaret, libere, quae cogitaret, dicere, certissime persuasum habens, se, quo maiori studio de patriae salute, civiumque emendatione elaborasset, eo maiorem laudem esse reportaturum. Qui igitur industriam operamque in eo collocabat, *ut res gestas literarum monumentis consignaret*, is non coactus erat, quo facilius imperantis gratiam captaret, aut turpissimis adulationibus mendaciisque uti, aut res quasdam silentio praetermittere, quae eius gloriae maculam adspargerent, *orator*, quidquid in ipso erat ingenii, id omne conferebat eo, quo felicius eiusmodi consilia civibus persuaderet, quae ad augendam reipublicae salutem spectabant, vel infimi civis, eiusque innocentis, causam animo forti et constante agebat, improbi et scelerati, etiam in sella curuli, aut iudicum sublellis sederet, gratiam non colligebat blanditiis atque affectationibus, *poeta* ea maxime fingebat, quae virtuti non iniusta ornamenta afferunt, neque spe, neque metu impulsus laudes canebat potentis, sed eadem ratione incitatus, qua obscurioris conditionis hominem laudabat, quia virtutis studiosus, et bonus civis erat, vitia vero principum, sine omni ergastuli pauore non minus, quam reliquorum civium mores carmine sale condito perstringebat, *philosophus* denique, non iuratus in ullius disciplinae placita, non studiose comprimebat ea, quae mentis acumine inuestigarat, inuenta eius, si falsis et pravis nitebantur principiis, non pertinaci iuriarumque plena verborum contentione, sed solo contentu, conuellerantur, si praecepta eius vitia rationique conuenientia erant, tunc omni animi fortitudine illa vindicare poterat, haud timens, ne superioris cuiusdam auctoritatem laederet. Hinc igitur SALLYSTII, hinc LIVII, in
 consignanda

consignanda rerum Romanarum historia, animus a partium studio
 satis alienus, hinc CICERONIS, qua iudicum civiumque animis do-
 minabatur, eloquentia, hinc eius subtilis et acuta disputandi ratio,
 quoties derisit Stoicos, aut Epicuri argumenta infregit, aut Acade-
 micorum Scepticorumque praecepta sparlit, hinc Virgilii in laudando
 Gallo et Pollione integritas, hinc LVCILII, CATVLLI, et HORA-
 TII in illudendis vitiis, vel purpura fulgentibus, animus fortis et
 erectus. Nihil illis obstitit, nihil illorum ingenium retardavit, et co-
 hibuit, respublica aut fruebatur libertate, aut AVGVSTI excelsio
 animo atque munificentia impediabatur, quo minus libertatis iactu-
 ram sentiret. Posterior causa, cur aureae aetatis scriptoribus princi-
 patus concedatur, haec est: erant viri, summis honoribus, immo
 prope regia dignitate, conspicui. Libri, quos optimis Latinitatis tem-
 poribus debemus, non ab eiusmodi hominibus compositi sunt, qui
 a republica, domi forisque administranda, remoti, in scholarum
 tenebris confinnerunt, aut ad scribendum, vitam vt tenuiter sus-
 tenerent, mercede conducii se passi sunt, sed, qui earum rerum, quas
 prodiderunt, magnam partem gesserunt ipsi, qui multo rerum civi-
 lium bellicarumque vsu magnam prudentiam sibi conciliauerant, qui
 summis reipublicae honoribus, ad quos meritis atque eruditione adi-
 tum sibi parauerant, fugebantur, verbo, summi erant belli duces,
 peritissimi non solum civitatis, sed totius, et late patens imperii
 gubernatores, quid? quod, praepotente potestate principes, quorum
 natui atque auctoritati non solum ciues obtemperabant, sed qui exte-
 ris etiam populis saepe pacem recusabant. Quo vero et sentiendi et
 dicendi genere vsos esse putes viros tam insignis magnitudinis tanta-
 que excellentiae? illorum animus, ad fordes non abiectus, num
 istiusmodi quid cogitare potuit, quod humilitatis speciem prae se fe-
 rebat? num sermones, nedum orationes illorum quidquam contine-
 re poterunt, quod aures, maiori honestati, gratiorique linguae
 suavitati adsuefactas, perfricabat? nonne persuasissimum habes, illos
 tam in rebus, quas tractandas sibi elegerant, quam in verbis, quae
 ad exprimentanda mentis cogitata vsurpabant, studiosissimos fuisse, vt
 dilectum instituerent, qui ipsorum dignitati responderet? vt quisque
 sit honore praestantissimus, atque excellentissimus, non ita magnifi-
 centissimum in sentiendo et dicendo iudices? Pauci vero illi, qui hoc
 in ordine scriptorum eiusdem maiestatis splendorisque non fuerunt,

vt imperio praefuisse legerentur, quique adeo dignitate atque praefantia reliquis scriptoribus longe multumque postponendi videri possunt, hi pauci fruebantur summorum illorum virorum consuetudine, et quotidie cum illis colloquebantur, vt facillima ratione illorum et cogitandi et dicendi morem obseruare, eiusque imitatione eandem elegantiam, urbanitatem, grauitatem, suauitatemque consequi possent. Non igitur est, quod mireris, hos *aetatis aureae* scriptores in tanto pretio haberi, vt reliquos in vniuersum omnes magno interuallo post se relinquere aestimentur, tam *libere cogitandi potestas*, qua libertatis reipublicae tempore utebantur, quam *amplissimi honores*, quos *consecuti erant*, ingenia vehementer aiebant acuebantque, vt non solum omnia sine cunctatione profertent, quae mente comprehenderant, sed etiam verbis, ad cuiusque rei magnitudinem accommodatis, et rebus, tam admirationem, quam delectationem habentibus, non minus pectoris generosi animique celsi, quam vitae externae maiestatis atque grauitatis documenta exhiberent. Hi vero sunt, *quorum imitatione ingenium prius confirmandum iudicio, quam ad* LECTIIONIS VARIETATEM *progrediendum sit*, hi sunt, a quibus tunc demum ad reliquorum, eorumque longe inferiorum, consuetudinem transeundum puto, cum familiaritatem cum illis contraxeris. Quemadmodum enim in iudicandis omnibus rebus hoc semper in more positum habemus, vt *pulchriora praeferamur deterioribus*, vtque minori animi propensione ad illud ferri nos sentiamus, quod vitis laboret, aut saltem minoribus virtutibus sit ornatum, quam quod maiorem gratiam suauitatemque secum afferat, ita etiam in vero Humanitati pretio statuendo non sine ignorantiae atque stuporis, ad eiusmodi pulchritudinis sensum hebetati atque indurati, suspicione negares, illis scriptoribus praefantiam esse vindicandam, eorumque lectione *ingenium prius esse fingendum*, qui, facta comparatione, reliquis omnino omnibus antecellere putentur. Quo sponse fretus sperare potes, vt eadem delectatione in legendis veteribus, itaque vilioribus libris afficiaris, quae te capere, captumque tenere solet, gratioris libri lectioni intentum? quid vero loquor de sola horum librorum lectione? animus non tantam prius in illis *legendis*, verum etiam *imitandis* exercendus est, nostraque scribendi ratio ad illorum normam omni diligentia prius est exigenda atque conformanda, quam ad inferioris ordinis scriptores descendere liceat. Quotusquisque enim est, quin

si imitandi studio ingenium animumque fingere constituerit, *optimum quidque eligat*, ut habeat, quod spectandum sibi, quod sequendum fugiendumue puret, et quin tam diu huic exemplo, affixus quasi, inhaereat, donec illi similitudine quam proxime accesserit? non semper verendum est, ne animus, si adhuc in imitando optimo titubat, vacillet, et vagatur, facile ab illo aberret, et ad deterius deslestat? Non optime igitur rei scholasticae consulere mihi videntur, qui nulla omnino obleruata differentia, quosunque antiquitatis Romanae scriptores, quorum lectione *iuuenes* contineantur, admittunt, quorumque parum interest, *aureae* aetati, an *argenteae* is liber latius, quem interpretantur, sit adscribendus? ad manus mihi est index quidam lectionum scholasticarum, qui CVRTIO, PLINIO iuniori, et FLORO locum concessit inter illos, quorum explicatione *animi iuueniles* nutriantur, alii TACITVM atque SVETONIVM in scholas receperunt, et MÜLLERVS in der historisch-kritischen Einleitung zur nöthigen Kenntniß: c. p. 120. studiose *iuuenibus* hunc ordinem suadere voluit, ut non solum *omnes aureae aetatis* scriptores, sed etiam ex *argentea* legerent: VELLEIVM, SENECAM, IUVENALEM, SILIVM ITALICVM, MARTIALEM, VALERIVM MAXIMVM, POMPONIVM MELAM, PERSIVM, LVCANVM, VALERIVM FLACCVM, atque STATIVM, quid? quod, ex *aenea* aetate, tam IUSTINVM ET EVTROPIVM, quam ipsam AVSONIVM, CLAUDIANVM, AVRELIVM VICTOREM, SVLPICIVM SEVERVM, MINVICIVM FELICEM, SCRIPTORES HISTORIAE AVGVSTAE, et AVIENVM, ut sane mirer, CHI SAMMONICVM, OROSIVM, et MARTIANVM CAPELLAM praetermiserit. WALCHIVS in *historia critica linguae latinae*, multique alii non aequiores sunt, sed quantum ego, ipso rei scholasticae vsu edoctus, in arte instruendi profeci, non possum non hanc *LECTIONIS VARIETATEM iuuenibus* dissuadere, fretus aliorum, eorumque *Celeberrimorum Virorum* assensu, quibus mecum conuenit, *ad tam amplam tamque vagam scriptorum latinorum lectionem* iuuenes nequam esse adducendos, immo illam tam perniciosam esse, ut *ne adultioris quidem aetatis* homini prius sit suadenda, quam *ingenium eius optimorum atque similium imitatione adeo fuerit confirmatum*, ut constanter et firmiter de *ELEGANTIA* atque *VENUSTATE* iudicet, et in illa exprimenda cum fiducia versetur.

Quamquam enim ad augendam rerum vtilissimarum scientiam fructuosissima est, tamen, si prius instituitur, quam in scribendo similitudinem praestantissimorum Romanorum nactus eris, ELEGANTIAE INIMICA est, quod ut comprobem, hoc vnum est, quod adhuc restat. Tanto vero hac ex ratione odio in illam incendor, ut non dubitem, eam rerum intelligentiam, quae multa quidem, immo innumera comprehendit, sed ita, ut de illis si differit, aures teretes, *quarum iudicium superbissimum est*, feriat et perficet, longe multumque postponere illi, quae angustioris quidem ambitus est, sed de omnibus, quae didicit, *eleganter et venuste* disputat. Equidem malo pauciora scire, si modo de illis sic loquor, ut iustis et peritis linguae Censoribus prober, quam plura, sed ita, ut, quoties sapientiam meam expromere velim, toties risum excitem, aut nauseam in inciam ipsis verbis, quibus fallacem istam mercem commendare et vendere vellem. Nihil mihi magis contemnendum videtur, quam *superbia inflati hominis rerum*, quae praedicatur, *cognitio*, et, quantum suavitatis affert elegans et urbana scribendi ratio, tantum indignitatis quoque docto comparat *barbarum et ingratum* dicendi scribendique genus. Quid vero est, quod LECTIONIS VARIETAS ad corrumpendam ELEGANTIAM conferat? quid mali apportat? cur tanta cautione atque subtilitate est tractanda? parit eum, quem Critici *κοιμισμὸν* vocant, siue, non ferendum istud in scribendo vitium, quo *scriptores inter se commiscentur, ut ex omnibus velut vnus conficiatur*. Duplicis formae est, et de vnaquaque nunc sigillatim agam, quo maiori perspicuitate maioriqve vbertate utar, ad constandum huic ELEGANTIAE hosti odium dignissimum. *Prior forma* versatur in *toto orationis habitu*. Non quisquam erit, quin facilem me sentiat, *simplicem* illam, quae dicatur, *venustatem* atque *gratiam*, per totum scribendi genus fusam, nasci praecipue *ab ingenio*, cuius quo quis maiori alacritate est instructus, eo maiorem suauitatem rebus dicen-

dicendis adspargere potest. Quam multi inueniuntur, qui complures annos in praelegendis et cognoscendis optimis libris consumserint, et nihilo minus in dicendo et scribendo reperiantur tales, illos ut nunquam attigisse videantur! Exsanguis in scriptis suis, aridi, atque ieiuni sunt, rebus tritis atque vulgaribus nouitatis speciem tribuere nesciunt, neque perspicuas rerum imagines concipere, neque rem in omnes partes cogitando versare didicerunt, in rebus paruis sublimia captant, in tenuitate exiles sunt, negligunt partium ordinis conuenientiam, et in illis coniungendis, ad euitandam fatietatem, non obseruant variationem, illorum sententiis nihil inest acuminis, ob sensum quendam reconditum, aut repugnantiae speciem admirandi, multo plus luci atque pigmenti puerilis, inani verborum lusu et tenuibus inuentiuiculis risum excitantis, verbo, hebetes et obtusi non minus in eloquendo, quam inueniendo, nihil habent, quo lectorem capiant, aut impediunt, quo minus facile a lectione recedat, librumque abiiciat. Vnde ista tumida, frigida, omnique lepore priuata, mentis cogitata exprimendi ratio, cum tamen industria lectione bene nutriti cenferi merentur? *ingenii*, quod plurimum in scribendo praestat, sterilitate laborant, hanc, omnibus gratis desituti, lectoris illecebras atque ueneficia nesciunt. Quamquam uero ita comparatum est, ut ex *ingenii tarditate atque stupore in toto orationis habitu* multum ingrati et iniucundi oriatur, utque maiori *ingenii facilitate* eam praecipue consequi possimus, quae *simplex suauitas* dicitur, adiuuatur tamen *assidua lectione* eorum, in quibus haec elocutionis uirtus inest. *Ad naturam enim eximiam atque illustrem cum accesserit ratio quaedam conformatioque doctrinae, tum illud praeclarum ac singulare solet existere*, et uel sola in legendo exercitatio eiusmodi fida magistra est, quae *ingenii bonitatem docilitatemque* augere, et efficere potest, ut ad summum perueniamus. Inde tot profecti sunt uiri, iique *tam diuinarum, quam humanarum literarum Consultissimi*, qui

nostra aetate in scriptis suis veterum *Elegantiam* atque *Urbanitatem* imitando consecuti sunt, praeter *ingenii praestantiam*, qua excellunt, toti fuerunt, et adhuc sunt in legendis antiquissimorum temporum monumentis, et unicuique, qui eandem gloriae viam ingredi vult, auctores suosque sunt, ut veterum lectione ingenium alat, quo facilius omnia ad illorum *Elegantiam* atque *Venusitatem* exigere possit. Vix enim credibile est, quantum teneatur animus sensu suauitatis, quosque aculeos lectionis voluptas in illo relinquat! abreptus ad legendum animus quam studiosissime omnes vires intendit ad perspicue sentiendum quemcunque motum, quo agitur, et quia natura sua languentem, dormientem, eneruatam, mollem, minutam atque perturbatam orationem auersatur, excelsam vero, erectam, contum, concinnam, bene limatam, constantem, numerisque temperatam amat, hinc sensim altius ipsi imprimitur omne id, cuius lectione incaluit, aufert et in usum suum conuertit quidquid ipsi placuerit, ut semper in promptu habeat, quo lectores permulceat, fastidiumque vitet. Quodsi igitur, ut propior nunc rei in praesentia tractandae accedam, *varii scriptores* promiscue legantur, et parum legentis interest, in optimo, eoque solo persistere, exinde necessario oritur *permixtio varii orationis habitus*. Quilibet enim auctorum, qui dicatur, classicorum suum habet cogitandi ordinem, suamque naturam atque indolem sectatur, ut ne vnus quidem illorum inueniatur, qui, licet eiusdem aetatis fuerit, aequali integre et absolute respondeat, quotusquisque illorum differt ab altero, et perparum similitudinis animaduertitur. Neque aliter fieri potuit, quia constat, scribendi genus non solum ab educatione, moribus, et vitae conditione, sed etiam ingenio atque arte, siue disciplina, cui quis deditus sit, tantum pendere, ut omnis scriptorum differentia his ex fontibus deriuanda sit. Quid igitur aliud euenire potest, nisi hoc, ut, *varios illos scriptores* si legendo inuicem permiscueris, *varium orationis habitum* consequaris, siue

vt eiusmodi mentis ordinandae et coniungendae rationi adfuefcas, quae,
composita ex pluribus, nihil constans, et, quantum pulchritudinis,
 tantum simul deformitatis habet. Quomodo enim credis, impedire
 te posse, quo minus *in legendo deteriori libro* tale quid in animum
 tuum irapat, illique inhaereat, quod a venusto et urbano est remo-
 tum? nonne etiam inuenusto et minus gratioso nonnunquam con-
 tingere potest, esse tam felici, vt probetur atque placeat, maxime
si iuco quodam oblitum fuerit? nonne scriptores, quo inferioris sunt
 aetatis, eo *plura lenocinia et ornamenta artificiosa* habere videntur,
 quibus facilius animum legentis occupant, quam grauitas et virilis di-
 gnitas illorum, qui superioribus temporibus vixerunt? En igitur *prio-
 rem formam* illius in scribendo vitii, quod *κομισμός* vocatur, cuius-
 que infelicissima mater est VARIETAS LECTIIONIS. Iam ad *po-
 steriorem* progredior, quae non minori odio digna est, et *in verbis
 ipsis, dicendique modis* deprehenditur. Qui aliquam modo cum la-
 tina scriptoribus familiaritatem contraxerint, iis in vniuersum omni-
 bus compertum exploratumque est, vocabula singularum aetatum
 non solum *significatione*, sed etiam *degentia* atque *venustate* differre.
 Taedium crearem, si nonnulla tantum verba ex permultis illis affer-
 rem, quae *aetatis argenteae* temporibus longe aliam potestatem,
 quam in *aureae* scriptoribus habuerunt, et innumera sane recensere
 possem, quae posteriori tempore demum inuenta, prioribus, iisque
 multo melioribus, auctoribus plane fuerant incognita. CICERO
 ipse, vt eruditi lectione eius edocti sciunt, iam suis temporibus ali-
 quot vocum mentionem facere potuit, quarum vis, ad maiorum
 aetatem si respiceret, erat mutata, idem igitur accidere debuit mul-
 to pluribus vocabulis, sequentium temporum, eorumque in longe
 deteriorem conditionem redactorum, rationem si habemus. Cui
 accedit, quod multae voces iisdem infelicioribus temporibus substi-
 tuebantur illis, quae antea in vfu fuerant, in primis vero permultae
 contra

contra omnem *analogiam*, siue iustam et aequam similitudinis rationem, componebantur, vt linguae quidem diuitiae auerentur, sed ita, vt ingens copia verborum in sermonem latinum induceretur, quae ciuitate romana erant indigna. Haec recentiora verba, quae nonnunquam *vera portenta atque prodigia* aestimari merentur, Criticis huius rei experientissimis *tam infesta tanque inuisa sunt*, vt nihil studiosius fugiendum iudicent, quam istiusmodi vocabula, quae posterioris cuiusdam aetatis sunt, maxime, si praeter necessitatem fuerint procusa, vtque hanc verborum differentiam, ipsa notionum indole, atque latinae linguae historia innixam, statuunt, qua vel sunt *elegantia et pura*, optimis si scriptoribus in usu fuerunt, vel *barbara et impura*, si aut tota sunt a gentibus barbaris, aut formam habent abhorrentem a linguae ingenio, quod optima aeras secuta est. Quod si haec vocabula, quae tanti sunt discriminis, singulis in aetatibus, id quod *LECTIONIS VARIETATE* facillime fieri potest, inuicem permiscantur, si *pura* cum *impuris* coniunguntur, si integrae formae dicendi, earumque differentia tam parum obseruatur, vt *aureae, argenteae*, immo *aeneae* copulentur, inde alterum genus vitii oritur, quod *κωμωπός* nominari solet, et quam odiosum, quam indecorum, quamque fastidiosum sit *auribus delicatis, et nitidae Latinitati aduersatis*, vix credi potest. *Inaequalitas* ista, (liceat hac voce uti!) atque *vilitas*, quae sic insertur orationi, vt *scribendi genus centonis instar* videatur, sane non est eiusmodi, vt haec *variationis indoles* animi voluptatibus annumerari possit, tantam potius offensionem tantamque molestiam affert, vt non nisi ab infcio linguae aestimatore, qui ipse, Latinitatis expertus et peregrinus, eiusdem vitii in scribendo culpa tenetur, possit defendi atque excusari. Nullo igitur modo fieri potest, vt, si vel maximam vim mihi ipse inferrem, aequum censeam, quod *SHELLERVS* in *praeceptis styli bene latini* pag. 779. pronunciat: *quid refert, vtrum vocabula, si eorum tantum ratio habetur, ex*
aurea,

auria, an ex argentea aetate ducta sint, modo a lectoribus intelligantur? peritiores Viri iudicent, qua nota haec digna sint, ego, si de alio viro sermo esset, dicerem: *cum se gessit, quem sibi barbaries defensorum iuris sui atque vltorem causae suae adoptare potest, iam vero iudicis partes non suscipiam.* Quis est, qui contendere conetur, *verborum tantum esse rationem habendam?* omnes prudentiores Critici hoc vnicuique dant, *verba, quamuis bona, sine bonis sententiis, non esse probanda, quia nihil, CICERONE auctore, tam furiosum est, quam inanis verborum strepitus, nulla probabili sententia subiecta, hoc tantum est, quod contra quemcumque urgent et vindicant, rerum, quamuis bonarum, scientiam, sine verborum elegantia, dignitatem atque laudem in erudito homine non habere, freti eiusdem Oratoris Romani, quem modo nominavi, auctoritate, qui omnia orationis ornamenta Lib. I. de Oratore hoc ordine tradidit: praecipitur primum, ut pure et Latine loquamur, deinde, ut plane et dilucide, tum ut ornate, post ad rerum dignitatem apte et quasi decore.* Pure vero et Latine loqui, ut ipse CICERO explicat lib. IV. ad Herennium, denotat *eleganter loqui*, haec enim ibidem sunt verba eius: *elegantia facit, ut vnumquodque pure et apte dici videatur.* Si denique SCHELLERVS addit: *modo a lectoribus intelligantur*, ego omni animi constantia atque fortitudine nego, hoc, *elegantia turpiter neglecta*, fieri posse. *Perspicuitas* enim, quid? quod, *grauitas* etiam, atque *suauitas*, quas solas spectandas esse opinatur, non solum recta rerum tractatione, ordine, coniunctione, iusta breuitate atque copia, verum etiam *verbis et dicendi formis* acquiritur, et, quamquam aliis fortasse, qui mundiciem latinam egregie ignorant, *perspicua, grauias*, atque *suauitas* esse possunt, quae barbariei sordibus inquinata et contaminata sunt, *doctis* tamen, qui neminem reperiunt, qui *elegantiam* vituperet et derideat, nisi *ipsum ignorantem*, verissime nunquam. Quod si cui videor *delicior esse*, is audiat BERGERVM, Latinitatis cultissimae

magistrum, in vita SCHURZFLEISCHII, quae *dissertationibus* illius *academicis* continetur, ubi *Ciceronem* solum praefert omnibus, unde verba, dictiones, iunctura, *Schurzfleischio* quoque auctore, ducantur, aliorum quidem voces, dilectu tamen habito, assumi nonnquam posse, quia cunctae e solo penu *Tulliano* depromi nequeant, dummodo a *Ciceroniano* more non abhorreant, compositionis tamen lineamenta ductusque illius merito seruari. Iam satis, alio tempore, si opus erit, plura.

Restat, ut propositum indicetur, quo incitatus hanc *commentationem* publice proposui. Dies solemnis, qui memoriae emendationis Religionis sacer est, cras celebrabitur in concionibus religiosis, hinc *Lyceum* nostrum, quod eiusdem diei iucundissimi solemnitate precibus ardentissimis atque iuuenilibus exercitationibus augere cupit, tres sibi elegit iuvenes, *et probitatis, et industriae laude dignissimos*, qui, intimae laetitiae Musarum *Torgauensium* interpretes, haberent declamationes, festo huic diei accommodatas. Itaque

- I. CHRISTIANVS ERNESTVS GLASEWALDVS, *Vide-
rauiensis-Saxo*, dicet sermone germano *de sorte feliciori iu-
venis ex iusta Religionis peritia.*
- II. ADAMVS GOTTLOB DALLWITZ, *Torgauensis*, lati-
ne disseret *de archissimo Religionis et Musarum vinculo.*
- III. IOANNES AVGVSTVS SCHMIDIVS, *Dahlensis-Mis-
nicus*, lingua patria praedicabit *iuvenis morientis consolatio-
nes, ex fidelissima Religionis institutione redundantes.*

Quos

Quos iuuenes vt PRAESVL SACRORVM SUMME REVE-
RENDVS, SENATVS AMPLISSIMVS, MINISTRI SACRORVM
PLVRIMVM REVERENDI, PRAECEPTORES LYCEI CLA-
RISSIMI, omnesque Musarum FAVTORES atque AMICI, cras
hora III. post meridiem, in auditorio superiori, beniuole audiant,
obseruantissime humanissimeque rogo. P. P. Torgauiae, a. d. III.
Kalend. Nouembr. A. I. S. MDCCLXXXI.


F I N I S.



XXVII

Quos in hoc VI. Praesul. SACROVM SYMME REVE-
RENDVS SENATVS AMPLISSIMVS MINISTRI SACROVRVM
PRAESIDIVM REVERENDI, SEACROTORVS LYONI GNS-
RISSENT, omnino Melano PAVTORVS SIVE AMICI, CVM
hinc illi post medicina, in seditione reportari, hinc in
obsequio sine punitivitate rogo. • 1771. T. Augustus, a. 1. 11.
Kaiser. Novemb. A. 18. MDCCCLXXI.

F I N I S



AB: 155056

VD 18

ULB Halle 3
003 085 112





TA → SL
Nov 75 fkt 1

R

VD 17







B.I.G.

Farbkarte #13

Centimetres

Black
3/Color
White
Magenta
Red
Yellow
Green
Cyan
Blue

ELEGANTIAE INIMICA
OLOGICO CRITICA

NDOLIS IUVENVUM

TIONES

NIS MEMORIAE SACRO

ENDAS

NVITAT

CVS SENTENIS

SOCIETATIS LATINAE
HONOR.



ERIANA

